aliud esse nisi humorem acutissimi salis et ita experientia didicimus, terram illam esse terram salsuginis, de qua habetur Jeremiae XVII., ubi peccatori comminatur Deus, quod erit sicut myricae in deserto, quae habent folia amara et rore salis perfusa. Per istas ergo myricas processimus et nullas aquas reperimus, magnam quippe penuriam aquarum habuimus (b). Unde hac die aperuimus illa vascula, quae de Gazara nobiscum eduximus aqua repleta; dictum enim nobis fuit in Gazara, quod aquae illae non comprutescerent in vasculis bene conclusis, et dum necessitas urgeret, possemus eis uti; apertis autem vasculis tantus exhalavit foetor de aqua putrefacta, quod nemo poterat eas, non dico, bibere, sed nec contrectare, nec asini nostri, qui erant tam multum sitibundi, eam aquam poterant bibere. Coacti ergo sumus aquam effundere, quam per longa deserti spatia nobiscum duximus, pro qua ducenda multa litigia cum nostris Arabibus camelariis habuimus et speciale pretium pro ea solvimus, quia speravimus, quod in tam extremis necessitatibus profutura nobis fieret. Frustrati autem spe nostra sitim amplius sufferre non poteramus, clamavimus ergo ad Calinum pro aqua, rogantes eum et ductores nostros, quatenus non respicerent ad viae prolongationem, sed nos per quaecumque deserti devia duceret ad aquas (aut) paludes pro habenda aqua. Acquieverunt ergo nobis et divertimus a vero tramite multum ad dextram et in latissimum ac aridissimum campum devenimus. In illo campo obviam habuimus karravanam, hoc est exercitum negotiatorum Madianitarum cum multis camelis, et portabant species de mari rubro. Hi conquerebantur nobis, quod iam multis diebus caruissent aqua, et obnixe instabant, ut saltim cuilibet unum haustum aquae daremus, quia iam quasi in puncto deficiendi essent constituti. Dedimus ergo eis reliquum aquae, quia venturi eramus ante vesperarum tempus ad paludes. Post horam aliam karravanam obviam habuimus de remotioribus orientis partibus, homines autem illi cum silentio praeterierunt et nos torvo vultu respexerunt, sicut communiter orientales et occidentales male se invicem respiciunt, ex natura enim odium est inter eos, et nisi ratione se cohiberent, in se ipsos statim irruerent, sicut faciunt

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;